

uris, quia ad infinitam perfectionem divine essentie conse- quitur necessario possibilitas creaturarum, & ad infinitam perfectionem divine cognitionis sequitur necessario extensio eius, etiam ad creaturas possibiles; hac tamen necessaria connexio, non infert preexistenciam, vel coexistentiam creaturarum possibilibus in esse cognito ad productionem Verbi, & Spiritus Sancti, sed tantum necessariam consecutionem ad illas productiones, ut declaraturum est ex Scoto quol. 3. S. & r. d. 39. X. Ad aliam probationem negatur, modum illum dicendi consentaneum esse divine perfectioni, quippe quod cum Deus ordinat res intelligatibiles sunt, modus ille aufert differentiam primariam, & secundariam obiecti, facitque Deum, inordinatam, & promiscuam omnium intelligentem; neque nos dicendi modus derogat simpliciter divini actus, cui sufficit, ut non multiplicentur actus, sed omnino maneat unus, & idem ex sua perfectione tendens in omnia seibilia, tam primariam, quam secundariam, iuxta eorum connaturalem ordinem, ut Doctor docet r. d. 2. q. 1. lit. I. & 3. d. 1. q. 2. infra M. Ad ultimam probationem negandum est multiplicari actus, alioquin argumentum concluderet, creaturas etiam, ut futuras cognoscit debere ante personarum productionem, sed semper est unus, & idem, qui ratione suae infinitatis omnia obiecta attingit, sed ordinat, primo primarium, & inde secundarium, & hic ordo attingentis non stat penes actum sed penes ipsa obiecta, ut docet Doctor quol. 14. Q.

Dices, possibile est, duo obiecta, que inter se habent ordinem prioris, & posterioris, simul cognosci, licet non ut simul & sic de facto Deus intelligit causam, & effectum simul, licet non ut simul; ergo obiectum primarium, & secundarium, quamvis secundum se servant ordinem prioris, & posterioris, non tamen, ut subsistant actui divini intellectus, simul omnia intelliguntur. Respondet, hanc quoque instantiam retorqueri posse in futura; quod simul ad Deo cognoscantur cum possibilibus; itaque negatur assumptum, si illa obiecta inter se servant ordinem prioris, & posterioris in ratione cognoscibilis, ita scilicet ut prius sit ratio cognoscendi posterius, velut medium cognitum, & ita se habent in proposito obiectum primarium, & secundarium nam essentia non movet divinum intellectum ad cognitionem creaturarum, nisi ut actu cognita; exemplum vero alatum de causa, & effectus, & alii relativi non est ad propositum, quia inter se talem ordinem non servant in intellectu divino, quia ibi causa non est ratio cognoscendi effectum, sed essentia est ratio cognoscendi effectum, sed essentia est ratio cognoscendi utrumque. Dices, licet divina essentia sit ratio cognoscendi creaturas, tamen non sequitur, actum divini intellectus prius natura debere tendere in essentiam, quam in creaturas, sed tantum debere cognoscere, & esse rationem illius; sic subiectum est ratio cognoscendi passionem, & tamen Deus non prius intelligit subiectum, quam passionem, sed simul utrumque. Respondet negando assumptum, quando enim unum obiectum est ratio intelligendi aliud, ut prius cognitum necessario concipere debemus cum fundamento in re, intellectum prius illud attingere, quam illud, quia cognitio istius dependet a cognitione illius, quod si Deus simul intelligit passionem & subiectum, hoc ideo est, quia non cognoscit passionem per subiectum, sed utramque per essentiam suam cognitam, in qua virtualiter continentur. Sed ad huc inquit Suarez, ergo divinus intellectus cognoscit creaturas per discursum, quia ex cognitione essentie devenit in cognitionem creaturarum; probatur consequentia, quia secundum Scotum ad discursum sufficit prioritas nature. Respondet negando consequentiam, quia licet ad discursum sola natura prioritas sufficiat, id tamen ita intelligendum est, ut prioritas, & posterioritas se teneat, nedum ex parte obiectorum sed etiam actus, deinde quod unum cognoscatur per aliud, ita quod cognitio unius sit causa cognitionis alterius; ex quo tandem sequitur, quod obiecta illa cognoscantur diversis actibus; in proposito licet Deus cognoscatur unum obiectum post aliud, & per aliud, scilicet secundarium per primarium, hoc tamen facit unico actu simplicissimo, & prioritas, & posterioritas se tenet prae se ex parte obiectorum, quae ordine quodam intellectu obiciuntur, quod Scot. r. d. 39. N. declarat exemplo, quia si in oculo meo semper staret idem actus videndi si ab aliquo nunc mihi ostenderetur album, nunc nigrum, videro utique prius hoc, quam illud, prioritas tamen & posterioritas se tenet precise ex parte obiectorum. Instat rursus, saltem ratione penes diversam tendentiam, actus ille est obiective multiplex; ergo saltem virtualis discursus admittitur in Deo. Respondet, hanc pariter instantiam retorqueri posse in futura, que cognoscatur post productionem personarum ex cognitione divini decreti; negatur itaque consequentia quia actus ille, ut est unius obiecti secundum decretum tendentiam in illum non oritur ex seipso, tanquam ex causa ut Scotus docet quesi. 3. prolog. lit. X. ubi ait, quod si essentia in primo signo est cognita, & in secundo sunt cognita quidditates virtualiter continentes proprias veritates, & in tertio co-

gnite sunt veritates virtualiter continentes in quidditatibus illis prius notis, non est ordo secundum ab eadem causa, sed effectuum essentialiter ordinatum ab eadem causa; nam essentia prius natura causat quidditates illas in esse cognito, quam veritates de eis sunt notae; accedit non deesse ad Recentiores, qui discursum virtualem admittunt in Deo ab his, ulla imperfectione, de quo satis dictum est discip. 3. discurrendo de modo, quo Deus res possibiles cognoscit in sua essentia, ac deinde res futuras suppositis decretis divina voluntatis absque ullo discursu. Sexto arguit Lezana quesi. 3. Verbum procedit ex cognitione illorum, quae intellectui Patris representantur ab essentia divina in illo primo signo, quo Pater producit Filium; sed creaturae possibiles representantur intellectui Patris in eo primo signo ergo, &c. Major patet, probatur minor primo, quia representatio creaturarum est quid essentialiter, ergo convenit Deo ante productionem personarum; Tam quia representatio possibilium non dependet a Verbo, sicut enim ab ipso non habent esse possibile, sed vel a se, vel ex omnipotentia Dei, ita neque ab ipso habent representari in essentia. Tam tandem, quia illud obiectum representatur intellectui Patris in illo primo signo, quod est illi creaturae, & proportionatum; sed in eo signo sunt praesentes creaturae possibiles, secundum quod representantur in essentia, in qua continentur virtualiter pro eo signo; ergo &c. Respondet, negando minorem; ad primam probationem verum est, essentialia ad intra procedere notionaliter; sed si sumantur cum ordine ad extra non procedunt, sed comitantur, vel subsequuntur personarum productionem. Ad aliam probationem neque etiam creatio, gubernatio, conservatio, & generaliter omnis actio libera Dei ad extra procedit per se a Verbo, ut Verbum est; sed a Deo, ut sic, & ab omnipotentia eius, quae in Patre prior est origine, quam in Filio; & tamen non sequitur, hanc omnia Patri convenire ante productionem personarum; ita quod; eadem ratione non sequitur, actualem representationem possibilium procedere in essentia, & in scientia Patris, sed tantum appetidivalem; ob rationes alias, per quod etiam fit satis Suarez, qui hac eadem ratione contendit num. 13. probare, non minus necessario scientiam Dei representare creaturas, ut possibiles, quam procedat Verbum a Patre. Ad ultimum negatur minor, satis enim constat ex dictis num. 127. in eo signo creaturas non habere esse possibiles, secundum quod representari possunt in essentia, cum consentaneum non sit, creaturas habere prius esse possibile, quam Verbum Divinum actualem, per quod omnia dicuntur facta ad extra. Dices, ea quae habet Filius loquendo de essentialibus, habet prius origine Patris; sed Filius per generationem habet cognitionem creaturarum; ergo Pater eam prius origine habuit, ergo priusquam Filius generet, novit eas. Respondet, argumentum militare pariter de scientia futurorum, quae satisfactum fuisse num. 138. itaque Pater omnia essentialia prius origine habet, quam Filius etiam cognitionem creaturarum existentium, quia eam se habet, & non a Filio, non tamen in ipso concipitur ad creaturas, aut existentibus etiam possibiles terminata, nisi in secundo ordine instanti post processiones divinarum personarum; Dices, creaturae possibiles, vel sunt ipsa essentia Dei, vel sunt in ipsa ab eterno; ergo si Verbum procedit ex cognitione essentiae, procedit consequenter ex cognitione creaturarum possibilium. Respondet, instantiam non esse ad rem, quia questio praesens est de creaturis possibilibus secundum proprias rationes formales ab essentia distinctas. Dices, essentiam divinam representare creaturas possibiles secundum proprias rationes formales est realis perfectio in essentia Dei; ergo representat eas pro omni signo. Negatur assumptum ex dictis numero 122. esse representativam creaturarum sui habere vim esse representandi est utriusque perfectio simpliciter, & hoc convenit essentiae pro omni signo; non autem actus esse representare; quod si urgeatur etiam actualem representationem creaturarum dicere perfectionem simpliciter; realiter, & fundamentaliter, conceditur, formaliter, & terminative, negatur, ut constat de representatione futurorum; praedicta autem perfectio realis non desicere, deficientibus creaturis, quia neque ad illas involvitur ordinem realem, nec dependentiam ab illis, nec connexionem aequalis necessitatis, sed tantum per necessarium sequalem esse plenitudinem perfectionis. Postremo urgent omnes unanimiter, quod si Verbum procedit ex cognitione perfecta, & comprehensiva essentiae cum suis perfectionibus, procedat etiam ex comprehensiva cognitione omnipotentiae, quae est maxima, & intrinseca Dei perfectio; at nequit comprehendi omnipotentia sine perfecta attingentia obiecti eius, quod est ens possibile; igitur nequit comprehendi Deitas, non comprehendens creaturis possibilibus; maior patet, cum omnipotentia sit praecipuum Dei attributum; probatur minor, nam cognitio potentiae, si perfecta sit, & praesertim comprehensiva, necessario debet attingere obiectum, quia ob necessitatem eorum connexionem, non potest cognitio ad unam primam

ri, & perfecte terminari, quia transeant ad aliud; Nec valet dicere, inquit Suarez, hoc verificari de potentia creata, quia dicit transcendentaliter ordinem ad obiectum, a quo speciem sortitur, quod de divina potentia dici non potest; non enim semper oportet, connexionem inter obiectum, & potentiam, quoad cognosci ex eadem ratione oriri; sed quod in creaturis facit habitu potentia ad obiectum, in Deo potest efficere eminentialis continentia effectuum in potentia, & essentialis dependentia creaturarum possibilium a creatrice essentia; Unde hoc argumentum ex comprehensione deductum putant, magis urgere de possibilibus, quam de futuris, quia res cadunt, sub obiecto divinae omnipotentiae, ut possibiles sunt, non ut futurae.

Respondeo, ad hoc argumentum satis constare ex dictis num. 94. & 95. ubi conclusum est ex Scoto r. d. 39. X. & d. 43. & omnipotentiam, ut est divinum attributum, & realis, & intrinseca Dei perfectio simpliciter dicere aliquid absolute, sine ullo ordinem reali ad creaturas, ut etiam docet Vasquez discip. 104. ex communi Theologorum, ac proinde posse a Deo distincte, & perfecte comprehendere esse possibile, quod per eundem actum attingitur per modum correlativi, & eadem perfectio absoluta maneret in Deo, etiam deficientibus creaturis possibilibus, quia neque pendet ab illis, neque cum eis aequalem habet necessitatem, etiam nostro concipiendi modo pro hoc statu concipiatur semper cum ordine rationis ad ens possibile, tanquam ad obiectum; Et cum dicebat Suarez, illam necessariam connexionem inter potentiam Dei, & ens possibile posse aliunde provenire, quum ens ordine transcendentaliter omnipotentia ad illud, nempe ex essentiali dependentia creaturarum possibilium a creatrice essentia, iam dictum est supra num. 106. & 129. necessitatem connexionem, ex tali dependentia orientem non inferre praexistenciam, vel coexistentiam creaturarum possibilium in esse cognito ad productionem divinarum personarum, sed tantum necessariam consecutionem illarum ad absolutam perfectionem, quam dicit omnipotentia; Quod si urgeas, omnipotentiam concipi non posse sine connexionem cum ente possibile, atque ideo inde inferri necessariam coexistentiam entis possibilis, qualis concipitur reperitur inter correlativa, quorum unum necessario coexistit aliud. Jam dictum est n. 93. hoc tantum concludere de omnipotentia formaliter sumpta ut actualiter fundat, vel terminat respectum creaturae possibilis, & de mutua denominatione relativa, quam secum fert necessario relationaliter simul, non autem probat de omnipotentia, fundamentaliter sumptam in hoc sensu illa duo non sunt necessario connexa aequali necessitate hinc inde, qualis est connexio relationaliter. Dices, deficientibus creaturis possibilibus, Deus non esset omnipotens, quia nihil esset, quod posset fieri; ergo omnipotentia est necessario connexa cum creaturis possibilibus, cum aequali necessitate hinc inde, sive hoc oriatur ex ordinem transcendentali ad possibile, sive ex alio capite. Respondet, data hypothese non subinde defectum per locum intrinsecum reale perfectionem Dei, quae modo dicitur omnipotentia, quae talis ratio est, ut si aliquid non implicet contradictionem, posset illud facere, licet non sortiretur nomen potentiae, si nulla omnino creatura esset possibilis; quod supra num. 93. explicui exemplo Chimerae, quae non dicitur impossibilis, sed est contra potentiam Dei non potest exire in actum circa Chimerae, quia ipsi deest potentia passiva, ut producat; quod adhuc facilius intelligi potest tenendo communem sententiam, quod omnipotentia non dicat perfectionem formaliter a voluntate distinctam, & actu eius, nam deficientibus creaturis possibilibus, adhuc maneret in Deo voluntas, & volitio; & tantae perfectionis, ut si esset obiectum aliquid secundum naturam, posset circa illud versari, & si ei non repugnaret esse in rerum natura, posset illud causare ad extra.

QUESTIO TERTIA.

Cum processio Spiritus Sancti non sit generatio, nec Spiritus Sanctus Filius.

133 Q uaeſtio haec unum ſupponit, & alterum quaerit; ſupponit Spiritum Sanctum non eſſe Filium, nec eius proceſſionem dici poſſe generationem; & huius rationem quaerit, & poſtulat. Et quidem, quod quaerit ſupponit, eſt de fide, quae docet Spiritum Sanctum non generari, & ſolam ſecundam perſonam dici Filium in divinis, lo. 2. & 2. Gloriae quaſi unigeniti a Patre, &c. ut Filium unigenitum daret, & in Symb. Apoſt. Et in Jeſum Chriſtum Filium eius unicum, & Symb. Niceno; Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium eius unigenitum; E contra vero de Spiritu Sancto dicitur Concil. Tolet. II. in Confeſſ. Fid. Spiritus Sanctus non eſt genitus, & Achanas in Sim-

bolo, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Diſſicultas vero quaeritio conſiſtit in aſſignanda ratione, cur ſola Verbi proceſſio, ſed ſecunda perſona ſit generatio; nam haec communiter deſinitur, Origo, orientis a ſequenti ex principio vite conuulſo in ſimilitudinem naturae, quae tota deſinito etia proceſſionis Spiritus Sancti convenire videtur, hinc enim eſt vivens a principio conuulſo in ſimilitudinem naturae; cur ergo eius proceſſio dici non poſſet generatio, nec ipſe Filius, quemadmodum dicitur de productione ſecunda perſone; Haec difficultas ad eod ardua viſa eſt nonnullis Sanctis Patribus, ut poſſit intellectum in Fidei obſequium caprivarie voluerit, quam de hac re curioſus diſputare, ita Nazianzenus Oratione 5. de Theologia, & Damascenus 1. de fide cap. 10. fatetur, ſe ignorante rationem tanti myſteri, & plures alii, quos referet Vasquez diſp. 113. cap. 3. & Juſus Ruiz diſp. 5. ſect. 1. Alii vero Patres utiſſime laborant in veſtiganda ratione aliqua, ob quam Spiritus Sanctus non ſit Filius, neque eius proceſſio generatio, non quod res fidei evidentem demonſtrari poſſe exiſtimaverint, ſed quo utile putaverint, rerum fidei, quas ut certas ſupponunt, aliquam veſtigare rationem, ut quantum fieri poſſet, ſuppoſita fidei doctrina, parati ſimus cuiusque patienti reddere rationem, ut aſſert Apoſtolus, praeterim quando neceſſarium eſt haereticis reſpondere; neque haec eſt curioſitas, ſed religio, & acceſſio merito fidei; Et quidem aliqui minus ſufficienter aſſignant pro rigore Scholae, vel enim ſub terminis obſcurioribus tradiderunt, vel ſi claris, parum tamen vel nihil ulterius explicantiſſimis, quam ſides de hoc myſterio loquatur, ut v. g. cum Achanas vultus harum proceſſionum diſtinctionem aſſignare ait, unam perſonam eſſe ex utero, alteram ex ore, illam Filium eſſe, hanc Spiritum, ut videri licet apud Ruiz diſp. 8. ſect. 1. haſuimus, & ſimiles rationes, quamvis a Patribus aſſignatas hic recentere opus non eſt, ſed tantum illas, quae in rigore Scholae magis explicant, & praefertim ex Auguſtino, qui more ſuo ſubtiliſſis, & accuratiſſis aliis hac de re diſputavit lib. 5. de Trin. cap. 14. & 9. de Trin. cap. 12. & rursus lib. 1. cap. 27. ſic pariter agemus in referendis Scholae ſententiis, quorum aliqui nihil proſus declarant, unde ſolum examinabimus eas, quae aliquam probabilitatem habere videntur, & hac tempeſtate in ſcholis magis videntur.

Hinc autem laborem aſſumimus, quoniam minus recte intellexerunt Scoti ſententiam Suarez lib. 11. de Trin. cap. 5. nu. 3. in fine. Vasquez part. 1. diſp. 113. cap. 4. in fine Averſa q. 27. ſect. 5. Amicus diſp. 18. ſect. 7. & alii Recentiores; ex eo enim quod r. d. 13. quaſt. unic. dixit, proceſſiones Verbi, & Spiritus Sancti eſſe primo diverſas, & ſe ipſis diſſerere, ei adhibuit, quod exiſtimaverit proceſſiones illas ita ſe ipſis formaliter diſtingui, ut non ſit alia ratio quaerenda diſtinctionis earum, juxta placitum eorum Patrum, qui dicebant, hanc rationem eſſe inexplicabilem; Nam oppoſitum omnino deducitur ex locis infra citandis, cum ejus ſententiam declarabimus, imo & ex illa eadem quaeritio in reſolutione quaerit, ſ. ad quaeritioem reſpondeo, ubi reſolvit, proceſſiones illas principiative diſtingui ſuis principiis, intellectu ſcilicet, & voluntate, formaliter vero ſe ipſis primo, ſeu ſe totis; & immediate infra ſ. ad argumentum, ſolvendo primum principale inquit, precise igitur dicitur illa generatio naturalis, quia illa habitu inter producents & productum eſt naturalis; naturalis huius habitus eſt ex parte naturalitatis ipſius producentis, quia producit principio naturaliter inclinando ad agendum, & hoc modo non ſpirat Pater; Neque obſtat, quod Doctor in ea quaſt. ſ. aliter ponitur opinionem reſellat Henrici quol. 9. quaſt. 9. aſſerentis, proceſſiones in divinis diſtingui penes principia, non enim ex hoc capite Henricum ibi reiticit, ſed ex eo, quod hanc addebat diſtinctionem attendi penes principia tantum ſecundum rationem diſtincta, ostendens efficaciter, ut haec proceſſiones reſte per ea principia diſtingui dicatur, neceſſarium eſſe diſtinctionem ex natura rei inter principia illarum, quod ſive ibi probat, ac etiam inferiori ſ. alia eſt opinio; Per hoc autem quod dixit, proceſſiones ſe ipſis formaliter diſtingui, plane ſignificare voluit, nullam aliam huius diſtinctionis quaerendam eſſe rationem, ut intellexerunt, ut Vasquez, ſed pro hoc aliud non voluit, quam proceſſiones non conſtitui per aliquid, in quo conveniunt conceptu adequatè praefico, & per aliquid in quo diſſerant, quia ſunt ultimo conſtitutiva, & diſtinctiva, de quibus univerſaliter id aſſert Doctor, tam in creatis, quam in divinis, & aliis quoque locis, quod etiam ibi declarat exemplo diſtinctionum ſpecificarum, quae ſunt ſe ipſis primo diſtinctae formaliter, quia non diſſerunt per alias diſtinctas; ab eo tamen ſunt diſtinctae effective, a quo habent eſſe effective; conſtat ergo toto Carlo, ut ajunt, hallucinatos eſſe Recentiores in referenda Scoti ſententia in hac materia, ut adhuc magis patebit art. 2. in declaranda ejus ſententia.

ARTICULUS PRIMUS.

Varij modi dicendi referuntur, & improbantur.

**135** Primus dicendi modus est Durandi 1. d. 6. quæst. 2. Aliacensisq. 8. art. 3. & aliorum dicentium: ideo Verbum esse genitum, non autem Spiritum Sanctum, quia Verbum procedit ab uno, Spiritus vero Sanctus à duobus, quod autem procedit ab uno, procedit per modum nature, quia modus nature est ut unus sit ab uno; quod autem procedit à pluribus, procedit per modum voluntatis, quia procedit à pluribus concurrentibus moderando suam virtutem; quæ ratio fuit D. Aug. 15. de Trin. cap. 26. & 27. ubi ait, Verbum esse Filium, quia procedit ab una persona, at Spiritum Sanctum non esse Filium, quia procedit à duobus personis, à quibus per generationem procedere non potest, nisi ab una, ut Patre, ab altera, ut Matre procedere, prout fit in creatis, quod est absurdum cogitare de divinis; quam etiam rationem adhibuit Anselmus in Monolog. cap. 53. & approbat D. Bonav. 1. d. 13. quæst. 3. atque ut probabilem defendit ex Recentioribus Turrian. in opus. 8. disp. 1. dub. 3. cum enim ex humanis, & creatis philosophandum sit in divinis, nostro modo intelligendi, quantum fas est, negari non potest, probabiliter collegisse Aug. Spiritum Sanctum non esse Filium, ex eo quod ex characteristica proprietate requiritur ex parte principij duo supposita, ut conditionem, & ut si procederet ab una persona tantum, non haberet eandem proprietatem characteristicam; nullus autem Filius in creatis ex proprietate sua requiritur procedere à duobus eodem modo, & in hunc modum rationem Augustini explicatam ait Turrianus, placuisse multis viris doctissimis in Hispania, Smissing. autem de Trin. disp. 3. qu. 2. nom. 122. licet hanc rationem absolutè non teneat, nititur tamen in eam bonum sensum explicare.

**136** Verumtamen hæc ratio non satisfacit, quia in primis pluralitas suppositorum producentium non est conditio ad spirandum, necessaria simpliciter, & ab intrinseco sed tantum secundum quid, & ab extrinseco propter ordinem fecunditatis, ut docet Scotus 1. d. 12. quæst. 1. Tandem, si voluntas in solo Patre esset in potentia proxima ad producendum, idem Spiritus Sanctus omnino procederet ab eo, qui modo procedit ab eo simul cum Filio; unde omnino per accidens est, quod voluntas non sit principium proximum nisi ut est in duobus; quare conditio simpliciter, & absolute requisita ad spirandum est, quod virtus spirativa sit in supposito priori, re ipsa distincto à Spiritu Sancto, sive illud suppositum sit unum, sive plura; ideoque falsum supponit Turrianus in sua explanatione hujus rationis, Spiritum Sanctum ex characteristica proprietate sua ex parte principij requirere duo supposita, ut conditionem; ita ut si procederet ab una persona tantum, non haberet eandem proprietatem characteristicam, ut adhuc magis constabit quæst. seq. Tum quia etiam Spiritus Sanctus modo procedat à Patre & Filio, non tamen ab eis procedit, ut à pluribus, sed ut ab uno eodemque principio proximo spirativo; per quod facile satisficit rationi Aug. nam est Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procederet, ut genitus, non tamen oporteret ab eis procedere, tanquam à Patre, & Matre, quia non procedit diverso modo ab uno, sicut ab alio, & secundum aliam rationem principandi, sicut modo in creatis Filius à Patre, & Matre producit; Tum quia etiam Spiritus Sanctus ab una tantum persona procederet, si tamen procederet per voluntatem, non esset Filius, ut constabit art. seq. ergo quod procedat à duabus personis non est vera ratio propter quam non sit filius; Tum quia pluralitas principiorum, vel potius principiantium non videtur sufficere ad distinctionem processionis, ut verbi gratia, quod calor procedat ab uno, vel duobus non sufficit ad distinguendam essentialiter productionem; præsertim si in ambobus fuerit eadem ratio principandi; Quod autem ait Turrianus, pluralitatem suppositorum posse conducere ad diversum modum producendum, quando talis pluralitas simpliciter necessaria est ex proprietate rei producendæ, secus tamen, quando talis pluralitas necessaria non est; id inquam, non obstat quia jam probatum est ex Scoto, talem pluralitatem non esse simpliciter, & absolute necessariam ex proprietate Spiritus Sancti producendæ, sed tantum ex ordine fecunditatis. Tum etiam, quia procedere à pluribus necessitat, & per modum unius principij ad naturam determinati, non est procedere per modum voluntatis, suam virtutem moderantis, ut dicebat Durandus, sed per modum nature ad unum determinate. Tum tandem quia non ob id, hæc ratio non recipiendæ, derogamus reverentiæ Aug. debita, nam alius locis Augustinum veram, & propriam agnoscit rationem hujus discernim, ut infra patebit; illam vero rationem fateretur Aug. ab ipso assignatam fuisse in quadam cõione ad populum, quam proinde attulit, non ut rationem

efficacem secundum rigorem Theologicum, sed veluti popularem quandam persuasionem, capiti simplicium fidelium adaptatam, ex modo philosophandi ex creatis divina; Et quidem quod ea ratio non sit convincens, ex eo deniq. patet, quia procedere à pluribus non tollit, quin Spiritus Sanctus procedat, ut vivens à vivente conjuncto in similitudinem nature; ergo non obstat, quin procedat, ut natus; ergo testat adhuc integra difficultas ab initio quæstionis proposita pro ratione dubitandi.

Secundus dicendi modus est Ricardi de S. Victore lib. 6. de Trin. a. cap. 18. quem ex Junioribus amplectitur Zuniga disput. 2. dub. 2. à memb. 9. dicentis, Spiritum Sanctum non esse Filium, quia non accipit naturam secundam, ut sic, id est, cum virtute communicandi illam alteri, quæ virtus est de conceptu nature postea in definitione generationis, iuxta definitionem, quæ datur solet de natura, quod est, *vis in se rebus ex similibus similia procedens*; ergo Spiritus Sanctus ideo non procedit similis in natura, ut ad rationem Filii exigitur, quia licet sit similis in essentia, caret tamen hæc fecunditate. Conf. quia Filius naturalis creatus, unde vox ista translata est ad divina, semper habet virtutem producendæ aliam; ergo signum est hanc vocem, *natura* in cuius similitudinem debet Filius oriri, usurpatam esse pro natura, potente aliam producere; ergo eandem debet habere in divinis. Demum ad hoc afferunt Concil. Florent. sess. ult. in literis unionis, ubi sic loquitur: *Nam credentes Spiritum Sanctum nequaquam esse Filio procedere, necesse est, ut Spiritum Sanctum intelligant à solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium*, ex quibus verbis sic arguitur, ex mente Concilij, qui negant Spiritum Sanctum à Filio procedere, coguntur negare, dari Filium in divinis; ergo Filius in ratione talis constituitur per virtutem producendæ Spiritum Sanctum, quia virtute ablata, cessat Filiatio; ut ait Ricard. ergo natura, in cuius similitudinem Filius debet prodire, dicit virtutem producendæ aliam sibi similem; ita refert Ariag. disput. 47. num. 43. quodam Genentiores argumentari.

**137** Hæc quoque ratio non jam exclusivus disp. 8. de Gen. & corrupt. q. 1. n. 6. declarando definitionem generationis viventium antequam opus Theologicum Ariag. invulgatum esset, apud quem tamen eandem nunc reperio impugnationem; instabat vero ibi, quod licet acceptio nature, in qua Ricard. suam fundavit sententiam admitti possit, iuxta illam naturæ definitionem, quod fit vis in se rebus ex similibus similia procedens, quam Doct. memorat 1. d. 10. quæst. un. ab initio, certum tamen esse apud omnes, atque competentem, naturam in præfata generationis definitione, quod sit *origo vivens à vivente* & quæ loco citat. explicimus, nequaquam ista sum, quod virtute nititur producendum, ut generandi aliquid simile generantis, sed pro essentia, & quidditate, quam res participant in certo gradu Quod etiam confirmari potest ex modo loquendi Patrum, & Conciliorum dicentium, in Deo esse unicam essentiam, & naturam omnibus personis communem, signum evidens nomine nature eos non intellexisse virtutem producendam, & secundam, quia hæc non est communis omnibus personis, per quod patet ad fundamentum hujus dicendi modi. Addebam ibi ex Bargo nostro, ex illa acceptione nature sequi, nedum productionem Spiritus Sancti non posse dici generationem, sed neque etiam productionem Filii, quia Filius non potest producere alium à Patre; & planè hoc probat illa confirmatio ex humanis deducta, quandoquidem in creatis Filius non habet virtutem producendi utrumque, sed generandi, & producendi alium Filium; cum ergo hæc virtute caret secunda persona in divinis consequenter dici non deberet esse Filium; & evasione Zunigæ quandam ad hanc argumenti reflexionem bene præcludit Ariag. loc. cit. Tum quia si virtus producendi ad intrinsecum conceptu Filii includeretur, tunc secunda persona non esset perfectè, & adæquate Filius, sed tantum inadæquate, quia non acciperet à Patre totam virtutem producendi ad intrinsecum, quæ duplex est in Patre, sed tantum virtutem producendi Spiritum Sanctum; Tum quia quod ad rationem Filii hæc virtus alterius personæ productivæ ad intrinsecum requiritur, videtur fuisse communis sententiæ Patrum Græcorum, qui est negant Filio virtutem producendi Spiritum Sanctum, adhuc tamen concedebant, esse Filium, ac etiam Latinorum, qui nunquam contra illos intulerunt, ex eorum sententia sequi non dari Filium in divinis; Neque id intenderunt Patres in Concil. Florent. citat. cum enim dixerunt, credentes, Spiritum Sanctum nequaquam esse Filio procedere, necesse est, ut intelligant, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium, hæc ultima verba de Spiritu Sancto sunt intelligenda, ut sensus sit, & consequenter Spiritum Sanctum non esse Filium, etenim ille immediate antea fuerat nominatus, nec opus fuit illum statim repetere, quod ly consequenter, sumi non debet per modum illationis alicuius absurdum, ad quod Græci inducerentur à Latinis, sed per modum referentis Catholicam Doctrinam; quam Græci cum Latinis admittēbant, etiam

etiam si processionem Spiritus Sancti à Filio non admitterent, ne mysterium Trinitatis ex eorum positione destrui videretur, sicut explicat Valquez disp. 148. cap. 3. Deniq. si esset de ratione Filii in divinis, quod esset alterius personæ productivus, scilicet Spiritus Sancti, tunc sequeretur in ratione Filii potius constitutum esse per spirationem, quam per relationem ad Spiritum Sanctum, quam per relationem, quæ refertur ad Patrem; at hoc est falsum, quia Filius nec adæquate, nec inadæquate per spirationem activam constituitur, cum hæc sit communis Patri, & Filio, unde si non foret, adhuc haberet rationem Filii, & hoc concedunt omnes Theologi, & solum contendunt, aliqui, ex hypothesi non fore distinctionem inter ipsum, & Spiritum Sanctum, quod & jam falsum esse, constat quæst. seq. plura contra hunc dicendi modum vide apud Fasol. quæst. 27. art. 2. dub. 5.

**139** Tertius dicendi modus est quorundam Recentiorum apud Ariag. loco citato dicentium, generationem in creatis ex vi nominis solum imputari pro actione productivæ in primo instanti, quam supponunt, specie distictæ ab actione in secundo instanti, quæ dicitur conservativa; quæ ergo Verbi processio in divinis est prima, ut potè per intellectum, quæ procedit voluntate, dicitur generatio; processio vero Spiritus Sancti, quia secunda, generatio non dicitur. Qui tamen dicendi modus nullam prorsus speciem probabiliter habet, quia in humanis experimur, non solum productionem primæ personæ ab eadem parentibus dici generationem, & productionem genitum sed etiam productionem secundæ, & tertie, & sicut ille dicitur primo genitus, ita ille secundo genitus, tertio genitus, & sic de aliis deinceps. Deinde falso nititur principio philosophico de actione productivæ, & conservativæ, quod realiter distinguuntur, etenim ut supra in Phisicis dictum est ex Scoto quol. 12. actio productivæ, & conservativæ nec realiter, nec formaliter distinguuntur quoad principalem significativam, sed tantum per nomen connotatum, nam ambe ex vi nominis important respectum essentialis dependentie rei à sua causa, licet non eodem modo, quia productio dicit dependentiam rei à causa cum respectu ad non esse immediate præcedens, conservatio vero dicit eandem cum respectu ad esse præhabitu, & ideo hi respectus connotati dicuntur, quia dantur intelligi ex modo significandi principalem significativam; quando igitur causa conservativa est omnino eadem, quæ productivæ, nulla est apparet ratio ad dicendum, actionem conservativam esse productivam diversam, nam perseverantibus istem extremis, inquit Doct. opus est eundem quod respectum inter ea permanent; & quando etiam post primum instanti concedatur actio in tempore sequentiali qualiter mutari, nulla est ratio ad dicendum, quod hæc actio in tempore sequenti sit specie diversa à illa primi instanti, cum nulla facta sit mutatio, vel in principio actionis ipsius termino, vel in modo producendi, unde ex diversis illis respectibus ad non esse immediate præcedens, quem connotat productio, & ad esse præhabitu, quem connotat conservatio ad summum deducit potest diversitas numerica. Tum quia in hac sententia, ut bene urget Ariag. sequitur, Verbum hodie non generatione hodie esse Filium contra illud *hodie genitus* res consequentia patet, quia productio apud istos non dicitur generatio, nisi in primo omnino instanti; ergo cum hodie supponatur Verbum per totam æternitatem productum, non dicitur hodie eius productio generatio, & nec valet dicere nullum esse instanti, in quo Verbum primario incepte sit esse; quia si in secundo instanti productio apud istos non dicitur generatio, quia non est primum instanti, multo minus dicitur, postquam transierit infinita, imo ex hoc sequitur, Verbi productionem nunquam dici posse generationem, quia productio non nisi in primo instanti dicitur generatio, & nunquam fuit hoc primum instanti productionis Verbi. Deniq. si processio Spiritus Sancti sit secunda productio in divinis, sive non, certum est, quod est processio viventis à vivente principio vite conjuncto in similitudinem nature; ergo est generatio, etenim in generationis definitione non habetur, quod debeat esse prima productio, vel secunda.

**140** Quartus dicendi modus est Suarez lib. 11. de Trin. cap. 5. & 6. Fasol. part. 2. quæst. 27. art. 2. dub. 13. Ariag. disp. 47. sect. 3. & aliorum Recentiorum Societatis Jesu, qui supponunt, naturam divinam consistere in intellectione, prout univèrsaliter distincta, & antecedente volitionem, & hinc probant, processionem Verbi esse generationem, non autem Spiritus Sancti, quia soli Verbo vi sue processionis communicatur intellectio; quæ est propria differentia, & formale constitutivum nature divinæ; Spiritus vero Sancto ex vi sue processionis sola communicatur volitio, quæ non constituit, sed supponit naturam constitutam, eamque consequitur, ut proprietatis ipsius; cum autem generatio sit formalis communicatio nature, eoque tendat, ut per eam, vel ex vi ipsius genitum assimilaretur genitori, sola processio Verbi est generatio, quia sola processio Verbi est formalis communicatio nature divinæ, quæ natura divina est

formaliter; Quamvis autem etiam Spiritui Sancto communicetur intellectio, quia tamen ea non communicatur vi sue processionis formaliter, sed tantum identice, & concomitantè, ut intrinsece inclusa in ipsa volitione, quæ ei tantum communicatur formaliter ex vi originis, non dicitur Filius, & genitus, nec eius processio generatio, quia hæc est productio per se primo ordinata ad communicandam naturam; Quod autem intellectio sit propria differentia constitutiva nature divinæ, volitio vero sit sola proprietatis consequens, in se probat, quoniam perfectissimus gradus nature intellectualis est ipsa actualis intellectio, volitio vero, & amor est quidem nature appetitus consequens intellectionem, atque adeo naturam ipsam perfectè constitutam in gradu vite intellectualis perfectissime; ergo illa habebit rationem formalem constitutivam divine nature, hæc vero solum proprietatis consequens. Tum volitio non fertur nisi in præcognitum; ergo ratio volitivi sive in actu secundo, sive in actu primo semper præsupponit rationem intellectivam in natura intellectuali; ergo nequit ejus essentia, per utroque rationem æque primo constitui; Hanc dicendi modum ex nostris sequitur Scherius disp. 7. q. 2.

In hoc tamen dicendi modo in primis plura falsa supponuntur, primum est, secundam personam procedere per actum intelligendi, & tertiam per actum amandi, quod præced. quæst. falsum esse, diximus, quia hi sunt actus essentialis, non autem notionales; alterum est, actualis intellectio esse de essentia Dei, tanquam formale ipsius constitutivum, quod falsum esse tum de intellectu, tum de ceteris attributibus cumulatè ostendimus disp. 2. qu. 2. nam Damascenus libi citatus lib. 1. de fide, cap. 6. ait, *bonum, solum, & sapientia non Dei naturam, sed quæ naturam sequuntur, exponunt, & Chryostomus de incomprehensibili Dei natura inquit, Non est sapientia substantia sed substantia sapientia, quibus verbis significat, nostro intelligendi modo sapientiam, & cognitionem Dei veluti orti à divina natura, ac ipsam consequi. Tum quia intellectio semper supponit objectum præsertim motivum, & sicut secundum rationem distinguitur ab objecto, cuius dicitur intellectio, ergo intellectio essentialis, quæ Deus essentiam suam cognoscit, ergo ea aliquo modo distinguitur, illamque supponit, tanquam proprium objectum. Tum quia intellectio actualis Dei est ipsa ejus intellectiva operatio; at metaphisica natura est, rem omnem prius debere formaliter existere, perfectè constitutam in esse quidditativo, quàm actu operari, quia actualis intellectio nequit essentiam Dei formaliter, & quidditative constituit. Quare cum dicitur, essentiam divinam acceptam præcisè in ratione essentia involvere tantum quidditative gradum entis substantia, spiritus, & vite intellectualis, monet Doct. quol. 1. hoc intelligi debere, non de natura intellectuali formaliter sumpta pro ipsa potentia intellectiva, & tantò minus pro ipsa actuali intellectu, sed pro essentia ipsa intellectuali, quatenus ex ipsa tanquam ex fonte, & radice determinatè pullulare nata est omnis intellectualitas, tam actualis primæ, quàm actualis secundæ, quæ sensu vi accipit. Arist. 2. de anima, cum dixit, *vivere viventibus est esse*, ubi certum est, nec accipere vitam pro ipso actu secundo, quia vita primario significat esse rei viventis, non vero operationem, aut facultatem proximam operandi.*

Hinc patet ad rationem in oppositum, quamvis enim intellectio volitioni præsupponatur, ac etia intellectus volutaris, quatenus inter se subordinantur ordine quasi plurium effectû, ab eadem causa proveniunt, tamen vi intellectus radicaliter sumpta pro essentiali, ratione cuius ab essentia pullulant intellectus, & voluntas, & hinc intellectio, & volitio dicit unam solam realitatem, & perfectionem Dei primariam, & quidditativam, non vero duplicem; unde accipiendæ vitam intellectualem in hoc sensu, non primo dicitur Deus intellectivus, quam volitivus, sed per modum unius simplicissime perfectionis quidditative utrumque Dei convenit, nec volitivum supponit intellectivum, nec e contra; ut dicitur de rationalitate in homine; per quam tribuimus homini equè primò, & immediate esse intellectivum, & volitivum radicaliter, quatenus rationalitas est radix, unde emanat in homine utraque facultas animalica intellectus, & voluntas, licet in homine utraque facultas servent ordinem prioris, & posterioris, ut effectus ordinatè ab eadem causa procedentes; Unde etiam male deducit Ariag. cum Suarez, quod quia intellectio est virtualiter prior volitione, sit quoque radix illius, ac consequenter omnium, quæ sunt in Deo, atque ideo ejus primum omnino constitutivum; Hoc, inquam, male deducitur, quia hæc prioritas non est cause ad effectum, sed plurium effectuum, inter se ab ea causa determinatò ordine manantium; Unde tamen intellectus, quam voluntas in nobis immediate dimanat ab essentia anime in ratione cause, vel principij, sed prius intellectus, quam volitias; sic pariter intellectio oritur ab intellectu, & volitio à voluntate, non

non autem ab intellectu, licet hoc supponatur, ut effectus prior ab intellectu dimanans, quam volitio a voluntate; ita ex intellectu dictum est. *de anima*, & colligitur ex *Scoto* 2. d. 16. q. unic. quod loquendo de ordine essentiali, seu casuali nulla potentia animae est prior altera, quasi quod una causet alteram nec; enim phantasia causet intellectum, nec intellectus voluntatem, sed hoc modo omnes aequè primò fluunt ab essentia animae; nonnullae tamen sunt inter se ordinatae ordine quasi effectuum ab eadem causa, quatenus una tam in essendo, quam in operando supponit alteram, ac ita se invicem habent intellectus, & voluntas quod quidem proportione etiam affecti debet de intellectu, & voluntate divina, quod quidem hic ordo inter illas exigitur ex intrinseca earum potentiarum natura, & modo conaturali operandi, non autem ex aliqua imperfectione, in nobis per accidens adiuncta. Imò ab hac doctrina neq; ipse *Arriag.* dissentite videtur, nam *sect. illa* 3. n. 61. ait, realiter essentiam divinam esse intellectiorem, volitionem, omnipotentiam imò, & relationem ipsam, haec enim omnia sunt identificata inter se ratione vera nostra, seu quoad modum nostrum concipiendi essentiam consistere in solo actu primo radicali, seu in ente à se subsistente, quod fere coincidit cum eo, quod *Doctor* docet, quod 1. de formalis consuetudo divinae essentiae, quod sit aliquid speciosum ad actum primum illius naturae, non autem ad actum secundum, qualis est ipsa actualis intellectio.

Deinde ad productionem Spiritus Sancti non solum per se concurrat voluntas, sed etiam ipsa essentia, & natura divina, ut principium communicativum, siquidem essentia divina sicut eum intellectiorem, vel potius cum ipso intellectu constituit principium formale, quo proximum productionis Filii, quod dicitur memoria secundum; ita cum volitione, vel potius cum voluntate concurrat ad productionem Spiritus Sancti constituendo eum principium quo formale proximum talis processionis, quod dicitur voluntas secundum, quae doctrina habetur in *Conc. Flor.* *ess. 18.* & 19. ex *Ioanne Theologo Latino*, quam omnes amplectuntur *Theologi* cum *Magist. 1. d. 7.* ergo ex vi processionis, vel potius huiusmodi principii productivi non minus formaliter, & per se communicatur natura divina Spiritui sancto, quam Filio; ita ex hoc capite ex vi processionis non minus Spiritus Sanctus assimilatur producenti in natura, quam ipse Filius, Consequentia probatur, id enim ex vi processionis, ac per processionem communicatur productio, quod est in producente ratio producendi, aut principium formale, quo ipsius productionis, hoc enim est praecipue, quod facit, productionem esse univocam; igitur si natura divina simul cum voluntate est per principium quo, communicationis sui respectu Spiritus Sancti per se vi originis illa communicatur Spiritui Sancto, & non tantum materialiter, & concomitantem, quatenus identificatur cum volitione, ut dicebant *Recentiores* illi. Confirmatur, quia ex communi *Theologorum* productioni Filii, & Spiritus Sancti in divinis ponuntur univocè ratione eiusdem termini formalis, per utramque aequaliter communicati personis productis; ergo tam per se primò divina natura communicatur Spiritui Sancto per suam processionem, quam Filio per suam, alioquin productiones illae non essent univocae, praecipue enim ex hoc capite eam attenditur univocatio, ut docet *Scotus 1. distinct. 7. & distinct.*

Respondet *Arriaga* sub n. 8. 9. ab eo *Theologo* naturam usur, pari pro praedicatis absolutis, & distinctis à relativis, de quibus affirmat esse principia quo, in divinis, non autem determinat ibi, quod eorum sit propria natura, & per quod in particulari procedat Spiritus Sanctus, quia non agebat ibi de hoc puncto. Ad *Confirmat.* ait n. 91. Spiritum Sanctum esse formaliter Deum, & per communicationem, hinc tamen non inferri Deitatis communicationem esse primario intentam; ut enim sit Deus formaliter ab alio, sufficit, si habeat Deitatem ab alio, communicationem, etiam non primario, sed secundario; unde *lex vi processionis*, ait, posse dupliciter intelligi, primò lato modo, id est per productionem sui, & in hoc sensu Spiritus Sanctus habet Deitatem ex vi processionis, id est, per productionem sui, habet communicationem naturae, & Deitatem, secundò ex pressis sumitur ex vi processionis, ut significet pri mariò, per processionem intendi communicationem Deitatis Spiritui Sancto, in quo sensu negat illi esse Deum ex vi processionis, neq; hoc secundò probat argumentum, sed primum. Sed utrumq; facile reicitur, primum quidem, quia ut ipse *Arriaga* paulò supra urgebat contra secundum dicendi modum n. suo 47. dum *Patres*, & *Concilia* loquuntur de natura, & essentia, per naturam intelligunt ipsam divinam naturam tribus personis communem, non autem eam usurpant pro omnibus praedicatis absolutis, ut distinctis à relativis; ergo haec est meta evasio, & non sine violentia verborum *Concilio*, quod quidem, cum nominat naturam, significat id, quod cum personalitate est essentialiter constitutivum divine hypostasitatis; tum quia ibi tractabatur de divinitate Spiritus Sancti, & demonstrare *Patres* intendebant, quod erat univocè per-

sona divina cum reliquis, & omnino procedere, ut aequale est alia persona procedente, idque ex hoc deducebant, quod tam natura divina cum voluntate concurreret ad spirandum Spiritum Sanctum, quam cum intellectu, vel intellectiorem ad producendum Filium, unde quia ex hoc capite Filius procedebat, ut univocè Deus cum Patre, ita patet Spiritus Sanctus.

Ex quo etiam directè impugnatur alia responsio, quae dicitur, ut per omnia aequalis cum alia persona procedente; & ergo communicatio Deitatis per utramque productionem est primario intentata, nam si in productione Spiritus Sancti non foret primario intentata, ergo ex vi suae processionis, seu per suam processionem non esset aequè Deus, ac Filius, nec univocè Deus cum ipso in perfectissimo univocationis gradu, quia esset tantum secundario concomitantem, ac veluti per accidens Deus, non autem primario, & per se, quod licet ipse concedat interpede, non tamen alii magis ponderat, antequam aequalem naturam divinam personatum in Deitate; Tum quia in ea responsione pugnantia dicit, primò enim concedit, Spiritum Sanctum esse formaliter Deum, & non negat, hinc inferri communicationem Deitatis illi primario intentam, sed tantum secundario, & concomitantem, sicut producens naturam non nisi secundario, & concomitantem intendit producere passiones, illam concomitantem; haec inquam, duo invicem pugnant videntur, nam si per suam processionem non accipit primario, & per se divinitatem, ut terminum per se formalem suae productionis, ac formaliter per eam communicationem, sed tantum accipit volitionem quae est tantum Dei proprietatem, & concomitantem divinitatem, quatenus cum ea identificatur, ergo per suam processionem non accipit formaliter esse Deum; sed tantum materialiter, & concomitantem; vel si per suam processionem accipit esse formaliter Deum, ergo accipit Deitatem, ut terminum per se formalem suae productionis, & ex primaria intentione sibi communicatum. Denique male negatur, Spiritum Sanctum ex vi suae processionis esse Deum, ut hoc significat primario, per processionem intendi communicationem Deitatis Spiritui Sancto, quia tunc processio Spiritus Sancti dici non posset processio Dei formaliter, quia non tendit formaliter, sed tantum materialiter, & concomitantem, cum quae identificatur divinitatem, processio autem denominatur formaliter ab eo, quod formaliter communicat, & productiones specificantur à terminis formalibus, & per se primò intentis; quare si talis non est Deitas in processione Spiritus Sancti, ut concedunt *Auctores* huius quarte sententiae, plane sequitur, secundum processionem in divinis non esse formaliter processionem Dei, nec Spiritum Sanctum esse univocè Deum in perfectissimo univocationis gradu, quia erit Deus concomitantem tantum, ac veluti per accidens, quod valde derogat summae divinarum personarum aequalitati. Quod si iterum dicat, per suam processionem Spiritum Sanctum habere quod sit formaliter Deus, non tamen primario sed secundario; praeterquam quod haec duo invicem non coherent, ut dixi, adhuc recurrit difficultas ab initio questionis proposita, quod eius processio sit generatio, quia sic dicendo adhuc per suam processionem habet, quod sit similis formaliter in natura producenti, quia per eam habet quod sit formaliter Deus, sive autem id habeat primario, sive secundario parum refert, quia ad hoc, ut aliqua processio sit generatio sufficit, ut procedens per eam habeat, quod sit formaliter simile generanti, hoc enim praesè importat generationis viventium definitio.

ARTICULUS SECUNDUS.

Modus dicendi Thomistarum, & aliorum.

Quintus dicendi modus est Thomistarum dicentium Filium in divinis procedere per Generationem, & habere rationem Filii, quia procedit per intellectum, Spiritum Sanctum non ita procedere; quia procedit per voluntatem; haec enim est differentia (inquit) inter intellectum, & voluntatem, quod id, quod procedit per intellectum, procedit, ut simile suo principio producenti; id autem, quod procedit per voluntatem, non procedit, ut simile, seu per modum similitudinis, sed per modum impulsus Verbum autem divinum procedit per intellectum, & idè procedit, ut simile, & per consequens, ut Filius, & ut genitus; Spiritus Sanctus autem procedit per voluntatem, & ita non procedit, ut Filius, neque, ut genitus, neque eius processio est generatio. Quare non producit per intellectum, & ita non procedit, ut simile, non vero productio per voluntatem declaratur, *Caet. p. 1. q. 27. art. 4.* idque deducit ex tribus, in quibus differt productio per intellectum à productione per voluntatem; primò est quia intellectus per speciem intelligibilem, constituitur in actu primo, & essentialiter ad producendum intellectiorem, secundò est, quia cum ex specie intelligibilis, & intellectu fiat unum totale principium intellectiorem sit, ut Verbum productum sit simile toti

toti principio, & praesè secundum formalem rationem constitutum talis principii, quae est species intelligibilis, Tertium est, quia cum obiectum, sive species intelligibilis sit causa intellectiorem, & Verbi secundum esse reale, est haec similitudo in natura propria, & reali, quae requiritur ad veram rationem generationis. His autem tribus indiget voluntas, primò quia species intelligibilis, sive obiectum non constituit voluntatem in actu primo, & essentialiter, quia non est ei forma agendi, & produciendi amore, sed est conditio, sine qua non, quatenus obiectum cognitum debet praecedere, secundò quia amor productus non assimilatur ipsi obiecto, vel rei cognitae, à qua producitur, sed tantum voluntati; Tertio quia res, vel obiectum non secundum esse reale, sed secundum esse cognitum concurrat ad producendum amorem cum actu voluntatis, & idè ista non est vera, & propria, sed tantum metaphorica similitudo, ac per consequens eius productio non est generatio. Quod si dicas, haec doctrina esse veram de voluntate creata, non tamen de divina, quae producit Spiritum Sanctum similem producenti non metaphoricè, sed verè, & proprie, quia assimilatur Patri, & Filio in natura divina, ac per consequens, licet productio voluntatis, ut voluntas est; non sit generatio, erit tamen generatio, ut est productio talis voluntatis, id est, divinae, quae ex vi suae productionis producit similem in natura, sicut intellectus. Occurrit *Caetano*, dicens, esse inter productionem similis factam ab intellectu, & a voluntate, nam ille productio formaliter, & ex vi generationis similem, quae essentia divina constituit intellectum in esse principii productivi, & ratio formalis producenti in intellectu est natura divina, in qua Verbum assimilatur Patri, id est, in principio formali productionis; essentia autem divina non est ratio formalis producenti in voluntate divinam ipsam, constituitur in esse principii, sed est sola conditio, sine qua non, & in esse cognitio, nam praesupposita cognitione essentiae divinae voluntas divina scilicet producit Spiritum Sanctum, & licet Spiritus Sanctus sit Deus, & similis producenti in natura, hoc est ex subiecta materia, id est quia est productio voluntatis divinae infinitae, de se productivae, ens infinitum, & substantiale, quod non potest esse nisi Deus; & sic etiam rem haec explicat idem *Caet.* inferius ad q. 35. in art. 2. quem dicendi modum sic expugnat amplius *Thomist.* ibidem *Bann. Naz. Cortexo. Salmaticenses. Lezana Thom. 5. disp. 1. q. 3. Ferraricus 4. contra gentes cap. 11. & 19. & alii eiusdem scholae communiter.*

Hic dicendi modus pluribus ab aliis impugnari solet, sed quibusdam etiam rationibus parvi momenti, quarum examen breviter causa hic omitto Porro differentiam assignatam inter intellectum, & voluntatem, quod id, quod procedit per intellectum, procedit, ut simile suo principio producenti, id autem quod procedit per voluntatem, non procedit, ut simile, seu per modum similitudinis, sed per modum impulsus, & inclinationis alio modo veram esse, ex illis, ut infra patebit, non tamè ob rationem à *Caetano* assignatam, & iuxta explanationem ab eo datam, quae multa falsa continet, spiritum quidem, & secundum, quod ait, inter venire in productione facta per intellectum quod scilicet intellectus per speciem intelligibilem constituitur in actu primo, & essentialiter ad intellectiorem, & quod Verbum productum sit simile toti principio productivo, & praecipue secundum rationem formalem constitutum principii, quae est species intelligibilis; hoc, inquam, totum verum est; sed tertium, quod addit, nempe quod cum obiectum, sive species intelligibilis sit causa intellectiorem, & Verbi secundum esse reale, est haec similitudo in natura propria, & reali, quae requiritur ad veram rationem generationis; hoc, inquam, tertium omnino falsum est, quia intellectus ex natura sua quantumcumq; species, vel obiecto secundum non habet producere similitudinem, vel simile in natura, & in essendo; sed solum Verbum simile in representando, ut constat de Verbo nostro, unde quod intellectus in divina essentia secundum producat simile in natura, & in essendo, non tantum evenit ex eo, quod secundum essentiam in ratione obiecti, sed quia est idem perfectissime cum ea & est intellectus infinitus, & proinde ipsi naturae divinae adequatus in essendo, & operando; at haec quoque eadem ratio currit de voluntate divina, idè enim divinus intellectus, & voluntas communicant terminis productis naturam divinam, quia sunt potentiae infinitae, & ipsius naturae divinae adequatae in essendo, & operando, ut *Scotus* docet. *l. d. 2. quaest. 7. v.* ergo quantum ad hoc est eadem ratio utriusque processionis. Quando verò dicitur, haec tria deficere voluntati, quia species intelligibilis, vel obiectum non constituit voluntatem in actu primo, & essentialiter, quia non est ei forma agendi, & produciendi amore, &c. quibus sit verum de voluntate creata in sententia docente; voluntatem esse causam totalem sibi actus, obiectum verò non nisi terminative concurrere; absolute tamen falsum est de voluntate divina, quia sicut essentia divina in ratione obiecti intelligibilis est Patri principium quo, producenti Verbum, sic eadè essentia

in ratione obiecti diligibilis est principium quo, Patri, & Filio producenti Spiritum Sanctum, constituit voluntatem divinam in esse principii productivi, quasi secundum illam, sicut intellectus per eandem essentiam secundum quod doctrinam n. 143. nedum diximus, esse ab omnibus *Theologis* receptam cum *Magistro 1. d. 7.* def. etiam haberi ex *Concil. Florent.* *sess. 18. & 19.* essentia divina, non tantum, ut conditio sine qua non, vel in esse cognitio duntaxat concurrat ad productionem Spiritus Sancti, sed ut verè principium activum, & ratio agendi cum voluntate; ergo differentia ex hoc capite assignata, quare productio unius, & non alterius sit generatio, nulla est. Demum neque valet aliud discrimen additum à *Caetano*, quod voluntas divina non formaliter, & per se primò producat Spiritum Sanctum, ut Deum, sed ratione subiectae materiae, nimirum quia est in divinis, & est voluntas divina, & infinita; non valet (inquam) quia haec etiam ratio currit de intellectu, qui non producit Verbum per se subsistens, & substantiale, ea ratione, quia intellectus est, quia si etiam Verbum nostrum procederet, ut simile in essendo, & non tantum in representando; sed hoc habet ratione subiectae materiae, quia scilicet est intellectus divinus, & infinitus; ex hac igitur parte nullum est discrimen, quare productio intellectus sit formaliter generatio, & non productio voluntatis, nisi assignetur alia ratio diversitatis. Hinc patet, valde hallucinari *Brancafum* lib. 1. disp. 3. q. 6. n. 22. dum ait, cautos esse debere *Scotistas* in impugnanda hac *Thomistarum* sententia, quia idem quoque; assignat *Scotus* discrimen inter has processionis dicens, Filium procedere, ut similem ex vi suae processionis, non ita Spiritum Sanctum, eo quod Filius per intellectum, Spiritus Sanctus vero procedit per voluntatem; Quamvis enim quoad hoc conveniant *Scotus*, & *S. Thomas*, quia causa dixi, differentiam illam à *Caetano* assignatam inter processionem factam per intellectum, & voluntatem esse veram, at tamen valde discrepant postea in assignanda huius discriminis ratione, ut constat ex modo dictis, & amplius patebit ex dicendis in declaranda *Scot.* sententia.

Rursus contra hunc dicendi modum alia ratio militat, quam supra n. 143. in fine urgebamus contra precedentem, deducta ex univocatioe divinarum processionum, si enim utraq; processio univocae est, opus est, utramq; processionem divinarum, ut talem per se esse productionem alioquin similis in natura producenti, de ratione namque productionis univocae est, ut productum accipiat ex vi suae productionis, tanquam terminum formalem, aliquid in quo specificè, vel quasi specificè conveniat cum producente. Conf. quia productum productione univocae ex vi talis productionis est similis producenti in natura, specificè, vel quasi specificè, sed utraque productio divinam in Filio, quam Spiritus Sancti est univocae; ergo utraq; persona producta ex vi propriae productionis est similis in natura producenti; major patet, quia in creatis ex similitudine, & convenientia in natura specificè producti cum producente, productio censetur univocae; minor probatur, quia in productione aequivoca productum semper est deterioris conditionis, seu perfectionis suo producente. Demum si verum est, Verbum ex vi propriae productionis procedere, ut simile in natura producenti, & non Spiritum Sanctum; aut hoc esset vi productionis per intellectum, ut sic, aut ex vi talis productionis, si primum, ergo Verbum quoque nostrum deberet esse substantiale, & simile producenti, non tantum intentionaliter, sed etiam realiter, ac in essendo; si secundum, ergo, & Spiritus Sanctus ex vi productionis propriae erit similis in natura, cum eius productio sit divina, & infinita, quamvis enim ex vi processionis per voluntatem ut sic praesè, non habeat esse similis principii, habet tamen illud ex vi processionis per talem voluntatem, scilicet per voluntatem Dei, ergo eadem est ratio utriusque processionis, neq; per hunc dicendi modum adhuc assignatum est verum discrimen.

Resp. *Lezana* loc. cit. Verbum divinum procedere simile in natura producenti ex vi productionis per intellectum, ut sic praesè, quia cum intellectio ex sua ratione formalis sit assimilatio, hinc provenit, quod perfectissima intellectio divina sit ex se etiam perfectissima assimilatio, & cum intellectio divina sit perfectissima intellectio, erit etiam in sua ratione perfectissima assimilatio, qualis est per identitatem naturae, quae patet (inquit) discrimen inter intellectiorem divinum, & volitionem divinam, quia intellectio divina non solum, ut divina, sed etiam est perfectissima, non includens ex pressè rationem divinam, aut productio Verbi similis in natura Patris, at vero volitio divina etiam consistit ad esse perfectissimam, non est productio similis in natura, sed productio perfectissimam impulsivam, unde quod volitio divina sit productio perfectissimam impulsivam, unde quod vo. divina, & intrà Deum; & ex hoc eodè fundamento occurrens paulò infra cuidam argumento ait, verum esse, quod productio substantialis divina, qualis est productio Spiritus Sancti, habeat

ex vi sua producere substantiam divinam. scilicet Spiritu Sancto nisi consideretur ipsa productio, quatenus divina est, secus tamen si solum consideretur, ut productio substantialis ad huc infinita, & perfectissima, quia ut sic solum habebit producere impulsivum, seu inclinationem substantialem infinitam; & ita Spiritus Sanctus, quatenus precise procedit per voluntatem solum esse substantia quaedam infinita, non Deus, quia hoc habet ratione suae processionis, ut divina est. Verum ex hac sola responsione luce clarius apparet huius sententiae Thomistarum improbabilitas, quomodo enim dari potest perfectissima intellectio, quae consequenter sit assimilatio per identitatem naturae, quae expressè non intelligatur esse infinita, atque divina; plane talis identitatis numerica naturae in producente, & producto provenire non potest, nisi ex infinitate eiusdem naturae, quae ex vi intellectio- nis, vel melius dictionis pariter infinita à producente eadem nu- communicat producto; ergo quantumvis perfecta intel- ligatur esse intellectio alicuius objecti, nisi intelligatur perfecta esse in gradu supremo, & infinito nunquam esse poterit assimi- latio in essendo, ac in identitate naturae; ergo intellectio Patris est productio Verbi similis illi in natura, non precise quatenus intellectio est, sed quatenus perfecta in supremo gradu, id est, in- finito; tunc quia vel intellectio perfectissima, quatenus assimi- lariva producti cum producente in identitate naturae, est finita, vel infinita; primum, ergo non erit assimilatio in essendo, & in natura, sed tantum in representando, & intentionaliter, ut pa- ter de Verbo nostro: si secundum, ergo iam intelligitur esse di- vina, etenim infinitas est modus intrinsecus, vel praedicatum quoddammodo ipsius Deitatis, & sic quatenus divina precise erit assimilativa in identitate naturae. Sic pariter è cõtra repugnat di- cere, quod productio Spiritus Sancti per voluntatem, si conside- retur solum, ut productio substantialis ad huc infinita, & perfe- ctissima, & non quatenus divina, habet producere substantiam quandam infinitam, & non tamen, quae sit formaliter Deus ex vi talis processionis; nam praeterquam quod nequit dari perfectio substantialis perfectissima, & infinita, quae eo ipso divina quoque non intelligatur, ut de intellectu dicebam; plane ad- huc magis repugnat, dari substantiam infinitam per tale proces- sionem productam, quae eo ipso non sit Deus, nam per Deum aliud nõ intelligimus, quã substantiam infinitam in ætate, quod adeo clarè est, ut haec absurda ulterio- ri impugnatione non egeat.

150 Sextus dicitur modus est Radae ex nostris controv. 14. art. 1. in tertia explicatione huius difficultatis, ubi adicitur rationem, quae illud procedere similem ex vi processionis cõpetit intel- lectui, & non voluntati, propter quod productio per intellectum dicitur generatio, nõ autem productio per voluntatem esse, quia Verbi procedit simile formaliter, seu in similitudine formalis naturae producentis, amor vero similis procedit virtualiter, sive in similitudine virtuali, pro quo adducit quædam Scoti doctrinam 7. Met. cap. 9. text. 30. ubi assignat tres generationis univo- cae gradus. Primus est, quando generans, & genitum assimi- lantur in forma, & in modo essendi forma; ut ignis genitus habet formam similem in specie ignis generantis, & eam habet realiter, & formaliter. Secundus est, quando generans, & genitum habent similem formam, non tamen secundum eundem mo- dum essendi, ut artifex efficiens domum habet eandem for- mam, quam habet domus, sed differenter, quia domus extrã habet illam realiter, sed in mente artificis est tantum in esse in- tentionali; Tertius tandem gradus est, quando generans habet formam geniti solum virtualiter, nõ formaliter, ut Sol gignens plantam, vel ranam. Hoc praemisso inquit, quod Verbum, & amor in rebus creatis in hoc conveniunt, quod utrumque est si- mile suo principio effectivo, quia omne agens nullo excepto producit sibi simile, ut docet Arist. 1. de gen. cap. 9. & 10. & 7. Met. cap. 7. sed est magna differentia, quia amor est similis suo principio tantum virtualiter, nõ formaliter in eadem natura specifica, quod verum est, sive voluntas sola, sive voluntas cum obiecto cognito sit principii effectivi amoris; amor enim nec est similis voluntati in eadem natura specifica, neque obiecto cog- nito; at Verbi intellectus creati est naturalis similitudo natu- rae specificae ipsius obiecti; Deinde hoc applicans divinis ait, quod Verbum procedit à Patre per intellectum in similitudine formalis obiecti intellectus, sicut etiã Verbum creatum hoc mo- do procedit, licet in modo habendi naturam nõ conveniant, & ideo in creaturis productio Verbi est univoca in secundo gradu, in divinis autem in primo gradu; quia verò amor assimilatur suo principio solum virtualiter, ideo productio Spiritus Sancti est tantum in tertio gradu univoca, & ideo nõ est generatio; hoc igitur est dicere habere similitudinem naturae ex vi proces- sionis, id est, procedere in similitudine formalis, sicut Verbum, nõ in similitudine tantum virtuali, sicut procedit Spiritus Sanctus.

151 Hic dicitur modus est alius hæc tenus relatis irrationabilior ex eo, quod concedit, Spiritum Sanctum ex vi suae productionis non formaliter, sed virtualiter solum Patri, & Filio assimilati, hoc enim modum juxta principia nostrae Scholae, sed etiam in fe ab-

solutè falsum esse, quia Spiritus Sanctus nõ essendi Patri, & Filio in forma, id est, in essentia divina, & modo essendi forma, quate- nus eandem naturam nõ solum specie, sed etiam numero habet, cum illis realiter, & formaliter, sicut ergo hac ratione Verbi pro- ductio in divinis ponitur univoca in primo gradu, sic pariter univoca ob eandem rationem poni debet productio Spiritus Sancti, Confirmatur, quia modus habendi naturam univocè est habere illum, secundum quod est in seipsa realiter, sive sup- positum illum habet habeat à se, vel ab alio, sive habeat per processionem naturalem, sive liberam; ergo cum Spiritus Sanctus in hoc sensu eodem modo habeat essentiam Patris, & Filii, plane eius productio erit univoca in primo gradu, sicut productio Filii procedit assumptum ex Scoto quest. ult. prolog. in cate- ubi perfectum, & completum univocationis gradum inter pro- ducens; & productum explicat per similitudinem in forma, & in modo essendi forma, in hoc sensu ut sit in producto secundum esse reale, & formale, sicut est in producente, & non secundum esse intentionale, sicut domus extrã est in mente artificis; cum ergo ita repetitur in Spiritu Sancto, sicut est in Patre, & Filio, ut fides docet, ergo ergo productio est perfectissima univoca, & ex similitudine naturae; & ex modo habendi illam; Tum quia 1. d. quaest. unic. docet Doctor, hac de causa ambas divinas pro- ductiones esse perfecte univocas, licet nec Filius sit Patri simi- lis, nec Spiritus Sanctus utrique in modo essendi personali, quia acquivocato, vel univocato in productionibus non attendit- ur pænes differentias individuales, sive personas, sed pænes dif- ferentiam, vel identitatem specificam; ergo licet supposita di- vina, per illas processionem producta diversimodè accipiant ef- fectum, quia una est per intellectum, alia per voluntatem; quia tamen conveniunt in eadem forma specifica, & in eodem modo essendi, non quidem personali, sed specifico, vel quia specifico, debet dici productionem univocè in primo gradu, ac proinde falsam est, Spiritum Sanctum ex vi suae productionis non esse similem Patri, & Filio formaliter, sed tantum virtualiter, & eius productionem esse univocam tantum in tertio gradu ex assigna- tis. Ex quo tandem deducitur, argumentum sepius inculcatum ex univocatione divinarum productionum non bene flosi per hunc sextum dicens modum, quia argumentum non probat, productionem Spiritus Sancti esse univocam in tertio gradu, ut explicat Rada, sed probat, esse univocam in primo gradu, hoc est, secundum univocationem perfectam, & completam cum perfectissima similitudine eiusdem naturae, & formae sin- gulari, sicut cum modo perfectissimo illam habendi.

Septimus modus est Canaricus, Torre, Vasquez, & aliorum 152 in p. 1. loc. cit. concedentium, etiam Spiritum Sanctum ex vi processionis suae procedere, ut similem in natura Patri, & Filio, negant tamen hoc sequi esse Filium, quia solum Verbum vi suae processionis procedit, nõ modo simile in natura principio producenti, nam etiam hoc modo procedit Spiritus Sanctus, sed etiam procedit, ut imago ad representandum expressivum de- dicunt, particulam illam definitionis generationis, scilicet in similitudinem naturae, non competere processioni Spiritus Sancti, quia dicitur, similitudinem requiritur ad rationem Filii, & terminat generationis non esse quamlibet similitudi- nem in natura, sed similitudinem imaginis, unde ignis produ- ctus procedit utque similis igni producti in natura specifica, quia tamen non procedit, ut imago ad illud representandum expressiva, non dicitur Filius; ergo licet Spiritus Sanctus vi suae originis procedat similis in natura principio producenti, quia tamen vi ejusdem non procedit, ut imago ad illam representan- dum expressiva, non dicitur Filius; Filius verò in divinis esse im- aginem Patris, non verò Spiritum Sanctum, probat Vasquez ex Patribus Athanasio Episc. de decretis Concilii Niceni, Nezian- orat. 3. de Theologia, quae est 36. in ordine, Hug. de S. Victore lib. 6. de Trin. cap. 19. 20. 21. Aug. 5. de Trin. cap. 24. & lib. 15. cap. 27. & Anselm. in Monologio cap. 53. probatur etiam ratione, nam solius verbi est procedere, ut speciem declarativam obiecti in- telligibilis intellectui dicenti, ac intelligenti, amoris autem rã- tum est procedere, ut impulsivum voluntatis in rem amatum.

Contra hunc dicens modum pluribus invenitur Suarez lib. 11. de Trin. cap. cit. Amicus, & Arriaga scilicet, ubi contendunt, etiam Spiritum Sanctum esse imaginem Patris, etiam nõ sit Filius, quia ex vi suae processionis non est similis Patri; probat autem hoc assumptum, quia Filius in creatis ideo est imago Pa- tris, non quia sit Verbum sui parentis, nec quia procedat per in- tellectum, sed quia habet naturam similem parenti, à quo pro- ductus est; sed hoc quoque habet Spiritus Sanctus respectu Pa- tris, ergo est verò imago ejus licet nõ sit Filius; At respondent Vasquez disp. 113. cap. 8. in humanis ex eo solum aliquid dici Filium, quia habet eandem naturam producentis, autem in eo solum est fundamentum relationis imaginis, in quo sufficienter salvatur ratio Filii; at verò in divinis sola similitudo naturae producti cum producente nõ fat est ad rationem Filii, quia hæc sola nõ est sufficiens fundamentum relationis imaginis, quia hæc

in Deo, non resultat ex sola identitate naturae, sed ex illa, & ex proprietate personali, quae nata est representare; hæc autem est sola proprietas Verbi, per intellectum producta, non autem proprietas Spiritus Sancti producta per voluntatem. Hanc solutio- nem rejiciunt illi, quia relatio imaginis, quae constituit Filium, ut sic, non est relatio imaginis intentionalis, sed natu- ralis, quae consistit in sua participatione ejusdem naturae specifi- cae producti cum producente; sed tam Verbum quam Spiritus Sanctus habent eandem naturam cum producente, ergo uterque est imago producentis, quare si hæc sufficit ad constituendum rationem Filii, etiam Spiritus Sanctus esset Filius. Quare con- cludunt, quod, quantum attinet ad rationem imaginis natura- lis, tam Verbum, quam Sp. S. sunt Patris imago, etiam quoad ratio- nem representandi, sicut aptitudinem, nam eo ipso, quod productum vi suae productionis accipit eandem naturam pro- ducens, per quam est ei simile in natura specifica, vi ejusdem naturae fit aptum representare suam producentem, quia de ratione imaginis naturalis non est actus representans, sed posse represen- tare; Hinc etiam explicant Patres, quod ideo solum Verbum dicitur imaginem Patris, non ob maiorem similitudinem in na- tura, sed quia procedit, ut imago intentionalis ad representan- dum, intelligibiliter expressa, & loquenter de representatione intentionalis, & actuali, quae propria est Verbi, & imperti- neuter se habet ad imaginem naturalem; Ratio est, quoniam ad rationem imaginis naturalis duo tantum requiruntur, & unitas naturae, sive specificæ, sive numerice, & realis distinctio producti à producente; primum requiritur, ut ratio formalis representandi, & assimilandi, nam talis ratio est unitas, & conventio in natura, secundum, ut pura conditio, nam ta- lis distinctio est ratio diversitatis; quæ non potest esse per tantum, quia postea tota ratio representandi salvatur in sola unitate naturae; quare cum Spiritus Sanctus per suam originem erit vera imago naturalis sui producentis, non minus, quam Verbum ipsum.

154 Hic tamen dicens, modus absolute rejiciendus non est, tunc quia à Patribus etc. verò assignatur hæc ratio, quod secunda per- sona dicitur Filius in divinis, ejusque processio generatio, quia procedit per modum imaginis, & est naturalis imago Patris, non ita Spiritus Sanctus; ita praesertim Anselm. dicens Verbum esse ostendere Filium, propriam praesertim Patris imaginem, & hanc eandem rationem assignat quoque Scotus 1. d. 10. qu. un. ad p. prin. ab aliis, verum esse, quod Spiritus Sanctus, non est imago Patris, sicut Filius, quæ ex vi productionis suae procedit, ut similis, quibus verbis non absolute negat, Spiritum Sanctum esse imaginem Patris, sicut negat Vasquez, neque absolute asserit, esse imaginem Patris, sicut Filium, quem ad modum asserunt alii contra Vasquez arguentes; sed ait, non esse imaginem, quantum sufficit ad fundandam rationem Filiationis, quia scilicet nõ procedit ut similis ex vi suae productionis, hoc est, quia nõ pro- cedit per naturalem originem, ut postea declarabitur; Hinc infero argumenta, quæ fieri solent contra sententiam Vasquez, absolute nõ bene concludere, quia ad rationem imaginis naturalis præ- ter similitudinem, & unitatem naturae, & praeter respectum pro- ducti ad producentem, defectu cuius conditionis, licet unus frater sit similis in natura alteri, sicut Patri, ac etiã interdum simillior in quibusdam acie idem, non tamen dicitur imago fratris; sed Patri, ratione originis, præter (inquam) hæc duo ad hæc exigite, quod productum procedat à producente modo naturali, & tanquam ab agente ad actum determinato, defectu cuius, si unus homo alium liberè, ac voluntariè produceret, ut artifex statuum, homo productus non diceretur imago produ- centis, licet ratione unitatis naturae posset repræsentare suam producentem, quia de ratione imaginis naturalis est, quod natu- rali ter procedat, & imprimatur ab imaginato, ut vulgariter dicitur de imagine impressa in speculo, quando igitur hæc tria concurrunt, tunc productum dici potest imago naturalis sui producentis, & si productum fuerit in natura intellectuali, tunc ratio imaginis est sufficiens ratio fundandi Filiationem; nam proprie loquendo solus homo est, qui Pater, vel Filius dici cõ- venire, ut notat Doctor 3. dist. 8. quest. unic. C. vel si ad bruta quoque denominationes istas extendere placet, & si ampliare, similitudo esse debet in natura saltem sensitiva; nam similitudo quantumvis specifica in inferiori natura, licet fundare possit rationem imaginis naturalis, nõ tamen Filiationem; unde nec plan- ta genita ab alia dicitur eius filia, nec ignis ab alio genitus dicitur eius Filius; argumentum itaque illud contra Vasq. absolu- tæ non tenet, quia licet tam Spiritus Sanctus sit ita similis in na- tura producenti, sicut Filius, non tamen dici potest imago Pa- tris, vel Filii producentis, quia non habet talem similitudi- nem per naturalem originem, sicut habet Filius, in quo scilicet sensu inquit Doct. non procedere, ut in similem in natura

ex vi suae productionis, quatenus non procedit per modum natu- rae licet in alio dici possit similis producenti ex vi suae pro- ductionis, quatenus univoca est, ut supra deductum est contra sententiam Thomistarum.

155 Adhuc tamen argumentum illud restet contra Vasquez con- cludit ad hominem, cum enim inquit, Verbi esse Filium, quia procedit per modum imaginis expressæ ad representandum, quod non verificatur de Spir. Sancto, aut intelligit, quod Ver- bum procedat per modum imaginis artificialis, qualis est statua v.g. Cæsar, ob convenientiam cum eo in externis accidentibus, ob quam nos ducit in cognitionem illius; Et quidem, ut pa- ter, nequit Verbum sic procedere per modum imaginis à Patre, siquidem non procedit liberè, & à voluntate, nec ulla habet accidentia similia cum Patre; vel intelligit, quod procedat per modum imaginis intentionalis, & neque hoc, quia nec talis imago facit Filium, nec necessaria est ad fundandam Filiationem, nam Verbum nostrum est intentionalis imago sui obiecti, nec tamen dicitur Filius, & Pectus est Filius Pauli, sed illam intentionaliter non representat, & exprimat. Vel tandem intelligit, quod Verbum sit Filius Patris, quia procedit per mo- dum imaginis naturalis, & neque hoc, quia vel talis imaginis ratio fundatur solum super unitatem naturae inter producentem, & productum, & sic Spiritus Sanctus erit imago perinde, ac Filius, praesertim apud Vasquez concedentem; Spiritum Sanctum ex vi suae productionis esse similem in natura Patri, & Filio; vel imago naturalis præter similitudinem, & unitatem naturae aliquid aliud requirit, defectu cuius Spiritus Sanctus non est Filius, & licet hoc verum sit, tamen nec à Vasquez, nec ab aliis ejusdem sententiae cõsortibus agnoscitur, vel desideratur, quæ- re ad hominem bene concludit, quod Spiritus Sanctus erit imago naturalis, sicut Filius; Neque valet, quod dicitur Vasquez, rationem imaginis naturalis præter similitudinem, & unitatem in natura cum producente, exigere ulterius in producto, ut tale sit imago expressæ ad representandum producentem. Nam rursum idem argumentum restat, vel talis imago debet esse representativa naturaliter vel intentionaliter, vel artificialiter, non hoc ul- timo modo, ut patet, neque intentionaliter, quia representatio intentionalis, ut dictum est, nõ sufficit ad fundandam Filia- tionem; si verò est naturalis representatio, vel talis respectus representationis naturalis in producto fundatur super conve- nientiam in natura precise, quia habet productum cum produ- cente, & sic talis ratio imaginis non minus verificatur de Sp. S. quam de Verbo; vel aliquid aliud requiritur ad imaginem natu- ralem, & sic recurret primum argumentum, quod hic dicens modus, aut deficiat, aut non sufficiat ad distinguendam ge- nerationem à spiratione, prout defenditur à citatis Authori- bus; quare, ut sit sufficiens, explicari debet juxta dicens da art. seq. num. 171.

156 Posset quoque hoc differenti modo defendi dicendo, Ver- bum esse imaginem Patris, non autem Sp. S. & consequenter illam generati, & esse Filium, non autem istum quia Verbum assimilatur Patri quodammodo in totum, hoc est, tam ex parte naturae, quam ex parte personalitatis; licet enim similitudo in qua fundatur ratio Filiationis, & imaginis naturalis, potius pæ- nes essentialia attendi debeat, quam pænes notionalia, tamen negari nequit, quod si in notionalibus etiam reperitur aliqua convenientia inter Patrem & Filium, qualis non reperitur inter utrumque, & Spiritum Sanctum, non possit, ac debeat Verbum majori ratione dici imago Patris, & consequenter ejus Filius, quam Spiritus Sanctus; Quod autem aliquo pacto, nedum in natura, sed etiam in personalitate Verbum assimile- tur Patri, quo modo non est assimilatur Spiritus Sanctus, de- claratur in hunc modum; nam Pater constituitur in esse Patri per actionem intellectus, quæ dicitur dictio, ac secundum Thomistas intellectus notionalis, Verbum etiam constituitur in suo esse personali per passionem, ut ita dicam, illi corres- pondentem, quæ dictio passiva potest appellari; ita quod Pater per intellectum producit Verbum, & Verbum produci- tur ab intellectu, & Filii ex una parte, & constituitur personale Spiritus Sancti ex alia; nam Spiritus Sanctus consti- tuitur quidem in esse personali per spirationem passivam, dum produci- tur per voluntatem secundam Patris, & Filii verum Pater, & Filius non constituitur in esse personali per spiratio- nem activam; ergo quantum ad personalitatem, & modum, quo Pater, & Filius constituitur in esse personali, magis inter se assimilantur prima, & secunda persona, quam tertia cum illis; atque ita potiori jure Verbum dicitur imago Patris, cum ei assimilatur quodammodo in totum, id est, tam ex parte naturae, quam ex parte personalitatis, quam Spiritus Sanctus, qui est assimilatur tantum in natura; dixi, autem Verbum quodammodo assimilari Patri, etiam ex parte personalitatis, quate- nus ambo constituitur in esse personali modo intel- lectus

Actuali, alioquin simpliciter, & ab aliis loquendo diversa est...

157 Ultimus dicendi modus, quem tantum hic indicare intendo...

258 At inquit Amicus, similitudinem naturae super quam fundatur...

proprie tamen denominatur Verbum ex secundo respectu...

ARTICULUS TERTIUS.

Ratio discriminis probabiliter assertur ex Scoto cum...

Duplex assertur ratio à Scot. discriminis generationis Verbi...

Primo itaque probatur hae primae discriminis ratio ex Sanctis...

veluti teporant, & quasi pariuntur, Spiritus Sancti is verò procedit...

161 Sed inquit Sacerdotis ex nostris disp. 7. qu. 2. quod si dicatur...

non verò processionem Spiritus Sancti, ex ipsa definitione...

Resp. tamen Recentiores, rationem hanc non satis rem explicat...